

Petrus Tomicki, Andreae Krzycki episcopo Plocensi.

Reverendissime in Christo pater et domine nepos charissime. Optime factum est, quod domini oratores tam copiose omnia, quae ista hinc hactenus acta sunt, communibus literis maiestati regiae perscripserint, namque id maiestati suae et gratum et iucundum esse cognovi. In quibus idem etiam ego, quod dominatio vestra reverendissima scribit, metuo, ne scilicet domini oratores Germani astu agant, aliudque quam corde gerant, verbis polliceantur. Hoc tamen facilius tolerari posset, si aliquo pacto negotium saltim concordiae ad optatum finem Deduci valeat. Cuius rei spes omnis est in Dei primum omnipotentis clementia, deinde in dominorum oratorum sapienti et sedula opera. Quod ad pensionis redemptionem attinet, non esset quidem difficile etiam nunc tam meis quam maiestatis regiae literis ei rei consuli et intercedi. Verum quia aliquid cogitationis in se habet, quo pacto deceat reverendissimi domini cardinalis protectoris petitionem apud maiestatem regiam factam depellere, ad aliud tempus differre hanc deliberationem commodius puto, quando Deo bene volente una praesentes erimus, quandoquidem id iam brevi est futurum, quod simul

nos convenire Piotrovia oporteat.

Mors uxoris Domini castellani Posnanien-
sis et sororis mee charissima, plurimum mi-
hi dolorem et animi perturbationem attulit,
non tam quod humano debito functam esse
graviter ferrem, quam quod in tanto mero-
re dominum castellanum constitutum auc-
diam, cui ego, ne in tanto luctu esset, sub-
venire omnibus modis cuperem. Neque tamen
dubito dominationem vestram reverendissimam
cum aliis magnificis dominis, officium hoc
amicitia, ut res postulat, praestituram esse.
Ego etiam quantum absens potero, literis
iustum illius dolorem solabor. Commendo
me amori et benevolentiae fraternae domi-
nationis vestrae reverendissima, quam sanam
et felicem semper esse vehementer desidero.
Datum Cracovia die sancti Lucae ewange-
listae, anno Domini millesimo quingentesimo
trigesimo.